

mus. Ab effectu etiam id patet, et optime declaratur, quia in nobis est gratia sine illa perfectione, quam addebat originalis justitia, quia nimirum fundamentum interdum esse potest sine superaddita perfectione. Id autem in nobis contingit, non quia dona Dei sint cum poenitentia, sed quia illa est justa poena originalis peccati; Deus enim non nisi innocentibus perfectionem illam communicare justissime decrevit.

6. *Solvitur ratio dubitandi cum altera quaestione.* — Ex quo facile expeditur ratio dubitandi supra tacta, et resolvitur alia quaestio, quæ solet fuse tractari, et videtur esse de nomine, an justitia originalis includeret formaliter gratiam. Duobus enim modis potest accipi originalis justitia. Primo, ut includebat totam rectitudinem hominis, et in se, quoad omnes potentias et partes suas, et in ordine ad Deum, ut finem ultimum cujuscumque ordinis, et hoc modo sine dubio justitia includebat gratiam, tanquam basim et radicem omnium illorum bonorum. Alio vero modo sumi potest justitia originalis præcise pro illa integritate seu perfectione, quam addebat ultra gratiam, et sic clarum est non includere illam formaliter, sed fundari in illa, ex ordinatione divina potius quam ex intrinseca rei natura. Unde fit consequens idem esse dicendum de omnibus donis et virtutibus per se infusis, quæ gratiam sanctificantem consequuntur tanquam proprietates ejus, elevantes potentias hominis ad finem et actus superioris ordinis; quam elevationem, ut dixi, status naturæ integræ per se et intrinsece non requirit: ergo nec justitia originalis formaliter includit hos habitus, vel eorum aliquem. Et hoc modo locuti sumus de hac justitia capite præcedenti, et loquemur in sequentibus, sicut etiam videtur loqui D. Thomas, quoties declarat quid possit natura integra absque gratia. Et idem sentit Cajetanus, prima parte, quæst. 95, art. 1.

7. *Justitia originalis latius, non stricte, appellatur gratia.* — Jam vero solum erit de nomine quaestio, an justitia originalis dicenda sit gratia, necne? Unde dicendum est breviter hoc donum per se non esse gratiam simpliciter dictam, prout dicit ordinem ad gloriam, seu supernaturalem sanctificationem, latius vero posse dici gratiam, id est, gratuitum donum non debitum naturæ. An vero hoc donum consisteret in aliquo habitu per accidens infuso, vel in qualitate aliqua inherente habente virtutem præternaturalem continendi appeti-

tum, vel solum in speciali protectione Dei, vel multa ex his includeret, in prima parte, tractatu de Statu innocent., dictum est.

8. *Convenientia puræ, et integræ naturæ status.* — Unde tandem infero homines, in statu integræ vel puræ naturæ, convenire in necessitate et indigentia gratiæ ad efficiendos actus supernaturales, non solum collective, sed etiam distributive, id est, quoad singulos, quia in neutro statu includit vires supernaturales, nec per se postulat principium intrinsecum supernaturalium actuum, nec auxilium aut providentiam ordinis supernaturalis. Ulterius etiam conveniunt illi duo status in æqualitate virium per se ad efficiendos quoscumque actus bonos ordinis naturalis, quia facultates intrinsecæ et per se seu physice requisitæ ad hujusmodi actus, sunt eadem in utroque statu. Nam integritas naturæ non addit novam naturalem facultatem, sed ad summum facilitatem utendi facultate naturali, et ablationem aliquorum impedimentorum. Ex quo non sequitur augmentum potestatis per se, et quasi physice in operando, sed tantum sequitur major potestas per accidens per ablationem impedimentorum, quæ moraliter esse potest absolute major ad constantius et perseverantius operandum, ut in sequenti libro latius explicabitur.

9. *Quæstio, et pars affirmans proponitur.* — Unde occurrebat statim hic quaestio, an saltem gratia adjuvans ab bene operandum moraliter, sit necessario conjuncta cum statu justitiæ originalis, seu integræ naturæ. Theologi enim, qui docent naturam intellectualem, eo ipso quod libera est, et prævia cogitatione honesta et congrua indiget ad recte operandum, indigere auxilio speciali divinæ gratiæ ad singulas operationes honestas recte efficiendas, si consentaneæ ad naturalem conditionem talis naturæ, et ad perfectionem divinæ providentiæ loqui velint, fateri profecto debent non potuisse naturam humanam, sive integram, sive integritate carentem, creari modo connaturali, nisi sub providentiâ gratiæ auxiliantis, etiamsi talis gratia in sua substantia et gradu supernaturalis non sit. Quia non potuit Deus, juxta debitum providentiæ modum, hominem creare omni auxilio, necessario ad bene operandum, destitutum; si ergo tale auxilium est vera gratia, necessitate quadam debiti connaturalis connexa est creatio talis naturæ cum providentiâ gratiæ: ergo non potuit in dietis statibus creari sine alicujus gratiæ adjectione seu provisione.

10. *Negativa pars quaestionem solvit.* — Ego vero fundamentum illud falsum esse censeo, ideoque absolute assero potuisse naturam humanam creari, seclusa speciali providentiâ alicujus propriæ gratiæ; maxime vero in natura integra, quia sufficiens principium est ad operandum multo tempore honeste, sine peccato, cum communi cursu naturæ sic institutæ, et cum concursu primæ causæ. Nam, seclusa integritate, specialior providentiâ Dei esset necessaria ad constanter honeste operandum; tamen etiam illa non mereretur propriam gratiæ appellationem, ut capite sequenti attingam, et in sequenti libro latius dicetur; ibi enim fundamenta et principia utriusque sententiæ expendenda sunt, et ideo nunc longiori hujus puncti disputatione supersedeo.

CAPUT VI.

QUI ET QUALIS SIT STATUS HOMINIS IN NATURA LAPSA?

1. *Homo a lethali culpa duntaxat lapsus denominatur.* — Supponimus hominem non denominari lapsum, nisi ab aliqua culpa, seu peccato, quia sola culpa aufert innocentiam ab homine, et constituit illum in quodam deteriori statu quam in prima sua conditione habuerit, et ideo per solam culpam tolli dicitur. Imo non quælibet culpa appellatur simpliciter lapsus hominis, seu constituit illum in statu naturæ lapsæ, sed talem esse oportet, ut per illam avertatur a Deo, ultimo fine suo, indignusque ipsius amicitia ac æterna beatitudine fiat, quod facit solum peccatum mortale. Veniale enim, sicut non est peccatum, nisi secundum quid, ita non esset sufficiens ad hunc statum naturæ lapsæ constituendum: status ergo naturæ lapsæ idem est quod status ex peccato contractus.

2. *Naturæ lapsæ status inveniri potest in homine, qui jam conditus fuisset in quovis statu ex prædictis.* — Unde fit hunc statum non tantum in homine ordinato ad finem supernaturalem, vel prius creato in justitia seu integritate naturæ, sed etiam in homine creato in puris naturalibus inveniri posse, quia peccare posset, ut per se constat. Tunc autem homo lapsus post statum puræ naturæ non differret a seipso in amissione alicujus doni superantis naturam, sed tantum in additione culpæ, et obliquitatis rectæ rationis, ut capite sequenti declarabimus. Posset etiam alia conditio in eo notari, quod ille lapsus ho-

minis, in pura natura constituti, esset personalis tantum, non capitalis, seu totius naturæ, quia hoc requirit aliquem statum ultra exigentiam naturæ. Quin potius hæc proprietas etiam in homine constituto in natura integra, sive ordinato, sive non ordinato ad finem supernaturalem, inveniri posset. Denique posset reperiri in una, vel altera persona humana, et non in aliis. Quia si solum conderetur homo ut privata persona, lapsus ejus esset personalis tantum, sicut in angelis uniuscujusque lapsus personalis tantum fuit. In hoc ergo differt lapsus Adami ab illo quem in tali homine considerare possumus, quia lapsus Adæ non tantum fuit personalis, sed etiam capitalis, quia fuit in illo non tantum ut persona privata, sed etiam ut in capite totius naturæ, ita constituto ex speciali ordinatione divina, et ideo lapsus ejus fuit lapsus totius humanæ naturæ. Atque hoc modo sumitur in hac materia, quoties de homine lapso sermo est.

3. *Lapsus totius humanæ naturæ quis dicitur.* — Præterea, considerandum est hominem constitutum in natura lapsa hoc posteriori modo, et prout de facto talis status introductus est, dupliciter spectari posse, primo, secundum illum statum, in quo relictus est ex vi peccati originalis, vel solius, vel cum aliis personalibus culpis; secundo, ut jam est sanatus per gratiam. Nam sicut supra distinxi-mus statum gratiæ, ita hic distinguere possumus statum naturæ lapsæ. Duobus enim modis dicitur esse homo in tali statu; primo, quia secundum præsentem justitiam est in statu peccati, sive actualis, sive habitualis, vel originalis: secundo, quia propter peccatum præcedens caret originali justitia et integritate naturæ, licet fortasse secundum præsentem justitiam sit in statu gratiæ, et hæc posterior acceptio est maxime usitata, et in sequentibus illa frequenter utemur, distinguendo hominem lapsum, in peccatorem et justum; hæc enim distinctio locum non haberet, si status naturæ lapsæ semper includeret statum peccati vel culpæ in homine permanentis. Non ergo illum includit, sed defectum integritatis naturæ, qui ex culpa aliquo modo propria præcesserit.

4. *Orbatus fuit Adam, et posteri ob lapsum, omnibus prærogativis status originalis justitiæ, et gratiæ etiam.* — Omisso ergo pro nunc statu naturæ lapsæ jam reparatæ per gratiam, de quo postea late dicendum est, de ipso statu naturæ lapsæ secundum se unum est certum, nimirum, ex vi hujus lapsus, tam primum

hominem, quam ejus posteros omnes mansisse privatos omnibus donis status justitiæ originalis, quæ supra enumeravimus, et a fortiori gratia et sanctitate, quantum erat ex vi originis. Quod est de fide certum, et definitum in conciliis Milevit. et Arausic., ac præsertim in Trid., sess. 5, et latius traditur a doctoribus in materia de peccato originali, et maxime videri potest Augustinus, libris cont. Pelagian., et libr. 13 de Civit., cap. 13 et 14, et libro decimo-quarto, capite decimo et sequentibus; Prosper, libro primo de Vocation. gent., capite septimo; Fulgentius, libro de Incarnation. et grat., capite decimo-tertio; divus Thomas prima secundæ, quæstione octogesima-prima, et sequentibus, et ibi interpretes omnes, et alii scholastici cum Magistro, in 2, distinctione decima-octava, trigesima, etc.

5. *Peccato originis non Adamus sed posterius fide spoliati fuerunt.* — Estque valde notandum hoc peccatum originis, non solum sanctitate, sed etiam fide, posteros Adæ privasse; sic enim concipiuntur nunc ex vi originis, qui ex Adamo ordinario modo generantur, ut nunc tanquam certum supponimus, et colligitur ex eisdem Conciliis. An vero ipse Adam fidem etiam peccando perdiderit, nec refert nec pertinet ad hunc locum. Fulgentius autem supra simpliciter affirmat. Et Prosper, contr. Colat., capit. decimo-nono et vigesimo-primo, et alii quos refert Pereira libro sexto in Genes., disputatione de decept. Adæ, putant habuisse actum fidei contrarium. Quod tamen in Scriptura non legitur, nec ex ea colligitur, et potius in Paulo legimus Adam non fuisse seductum, prima ad Timotheum secundo, et de sola Eva id affirmatur, 2 Corinthiorum undecimo. De cujus deceptione adhuc dubitari potest an fuerit per propriam infidelitatem, sed in primam partem remittimus. Et id de ipso Adam probabiliter credimus, quoad suam personam non fuisse privatum fide propter peccatum, quia non peccavit errando contra fidem, et per alia peccata actualia non amittitur fides semel habita, quoad posteros vero totam gratiam ipsamque fidem amisit, vel potius, ne ipsis infunderetur, obicem posuit.

6. *Comparatio status lapsæ cum statu puræ naturæ.* — Ex his ergo facile declarari potest quomodo hic status naturæ lapsæ ad reliquos ejusdem naturæ status comparetur. Et primo, si comparetur cum statu puræ naturæ, constat ex dictis non differre in pœnali aliqua privatione intrinseca, seu alicujus boni intrinseci,

quia peccatum non diminuit bonum mere naturale per se, et intrinsece, sed per accidens, vel impediendo bonum aliquod juvans naturam, vel pravum habitum inducendo, juxta doctrinam divi Thomæ 1. 2, quæstione octogesima-quinta, articulo primo et secundo; et Aleusis, secunda parte, quæstione nonagesima quinta, et aliorum doctorum in 2, distinctionibus trigesima-tertia et trigesima-quinta. Et ratio clara est, quia peccatum non potest intrinsece immutare, augere, vel minuere naturales vires animæ, ut capite sequenti magis declarabo. Igitur in statu puræ naturæ peccatum actuale, quamdiu duraret, per se impediret rectam operationem, et hominem a Deo averteret; postquam vero cessaret, relinqueret voluntatem moraliter aversam a Deo, non tamen impediret boni operationem, sed ad summum posset nonnullam difficultatem afferre circa aliquod bonum, generando habitum inclinantem ad contrarium malum, vel, quantum in se erat, morale impedimentum apponendo divinis beneficiis, si quæ fortasse liberaliter in eo statu conferrentur, quæ omnia ex dicendis in capite sequenti declarabuntur amplius.

7. *Gratiæ et naturæ lapsæ status comparantur.* — Secundo, est etiam facilis comparatio, si status naturæ lapsæ ad statum gratiæ comparetur. Nam si natura sumatur et spectetur ut jacens et durans in peccato in quod lapsa est, et comparetur ad proprium et intrinsecum statum gratiæ, sic formaliter opponitur illi, nec potest simul esse cum illo, ut infra tractabitur, et sic dicitur homo nunc concipi et nasci in statu naturæ lapsæ, id est, peccati. Si vero comparetur ad statum gratiæ late sumptum pro extrinseca ordinatione ad finem supernaturalem, sic status naturæ lapsæ non repugnat cum tali statu, ut patet in eodem infante genito in natura lapsa, qui nihilominus nascitur in statu ordinationis ad gratiam et gloriam. Et ratio est, quia homo non privatur propter peccatum mediis de se sufficientibus ad gratiam et gloriam consequendam, neque talis pœna imposita est a Deo pro lapsu naturæ secundum ordinariam legem, licet de potentia absoluta imponi potuerit. Unde ulterius, si natura dicatur lapsa præcise propter defectum integritatis ex peccato contractum, sic non repugnat status naturæ lapsæ cum statu gratiæ, etiam intrinseco et proprio; sic enim puer baptizatus in statu quidem gratiæ constitutus est, et nihilominus simul esse dicitur in statu naturæ lapsæ, quia licet sit sanatus quoad infirmitatem culpæ, non est redintegratus (ut sic dicam)

quoad læsionem naturæ: et ratio propria est, quia status naturæ lapsæ, hoc posteriori modo sumptus, non est status culpæ, sed fomitis, et pœnæ contractæ ex culpa, et ideo non reputat esse simul cum statu gratiæ. Quapropter status naturæ lapsæ, sicut et integræ, recte in duos subdividi potest, videlicet in statum naturæ lapsæ sanatæ per gratiam, vel jacentis sub lapsu, ut bene notavit Molina in Concord., quæst. 14, art. 13, disp. 3.

8. *Integræ naturæ status lapsæ comparatur.* — *Et quid de potentia absoluta dicendum.* — Tertio, intelligitur ex dictis quomodo comparetur status naturæ lapsæ ad naturam integram, seu in justitia originali constitutam. Dicendum est enim, imprimis de potestate absoluta, potuisse integritatem naturæ manere quoad compositionem potentiarum inter se, amissa innocentia, et recto ordine voluntatis ad Deum. Eademque ratione potuisse manere in homine lapso omnia privilegia originalis justitiæ, non manente formali ratione justitiæ, quatenus per peccatum corrumpitur. Probatur, quia nulla est repugnantia. Nam illa læsio naturæ vel privilegiorum amissio non sequitur ex peccato formaliter, imo nec proprie effective, ut per se constat, sed sequitur ut pœna digna talis culpæ: non cogitur autem Deus talem pœnam imponere, et multo minus cogitur statim illam exequi: ergo posset conservare illa dona, non obstante culpa.

9. *De ordinaria lege, naturæ integræ et lapsæ status nunquam simul steterunt.* — Addimus vero ulterius, de facto, et secundum legem ordinariam, in natura lapsa nunquam statum illum permansisse. Quæ sententia sumitur ex divo Augustino, libro de Correction. et grat., capite 11; D. Thoma, 1 parte, quæstione 100, articulo primo et secundo. Probatur, quia, amissa gratia, amittitur etiam status ille secundum ordinariam legem; sed per naturæ lapsam amissa est gratia, ut constat: ergo amittitur etiam status naturæ integræ et originalis justitiæ. Major constat ex dictis, quia ostensum est gratiam fuisse fundamentum justitiæ originalis et integritatis naturæ; ablato autem fundamento, ruunt reliqua quæ super illud ædificata sunt. Unde quoad integritatem naturæ est optima congruentia, quia qui deserit Deum peccando, et non obediendo ei, juste deseritur, ut caro et portio inferior, spiritui ac parti superiori non obediat: sed natura peccando amittit rectum ordinem ad Deum, neque illi perfecte subijcitur: merito ergo amittit integritatem et perfectam subjectionem

sui appetitus inferioris ad superiorem et ad rationem; et inde etiam extenditur congruentia ad originalem justitiam, tum quia hæc supponit naturæ integritatem, ut dixi, et ideo, hac amissa, etiam illa perditur: tum etiam quia per peccatum, fit homo reus pœnæ et doloris, quæ repugnant cum statu originalis justitiæ, ut etiam declaratum est.

10. *Objectio de Eva lapsa in integritate stante, usque ad lapsum Adami.* — Contra hoc vero est vulgaris objectio, quia Eva peccando non statim amisit originalem justitiam; imo in illa jam lapsa mansit naturæ integritas et originalis justitia. Probatur, quia illa peccavit prius quam Adam; et tamen in illo tempore intermedio inter suum et peccatum Adæ non sensit concupiscentiam, nec erubuit quod nuda esset, nec aperti sunt oculi ejus, ut suam nuditatem videret: ergo signum est permansisse tunc in naturæ integritate. Et similiter non sensit calorem vel frigus, vel aliam alterationem carnis passibilis: ergo signum est etiam retinuisse justitiam originalem, quia hi sunt effectus proprii talis doni et status. Antecedens patet, quia si sensisset hujusmodi novos effectus, evidenter agnovisset suum lapsum et deceptionem, et non esset ultra progressa ad invitandum virum. Propter hoc Abulens., in c. 3 Genes., quæst. 6 et 7, et Catherin., opuse de Peccat. orig., censent personalem lapsum potuisse simul esse et fuisse cum donis integræ naturæ et justitiæ originalis, seclusa gratia. Idem in re tenet Cajetan., 1 parte, quæst. 93, art. 1, licet aliis verbis. Dixit enim Evam, peccando ante Adam, non statim amisisse justitiam simpliciter, id est, totaliter, amisisse autem quoad aliquid: Quod non amplius explicat, significat autem amisisse quasi jure et debito, quia statim meruit illam amittere, de facto tamen non statim illi ablatam esse, donec Adam peccavit.

11. *Negativa responsio.* — *Ad singula respondetur in forma.* — Nihilominus magis placet sententia proposita, et consentaneæ ad illam, respondeo Evam, statim ac peccavit, amisisse originalem justitiam et naturæ integritatem, ac subinde statim habuisse naturam læsam, sicut et lapsam. Ad argumentum autem respondeo, non oportuisse ut statim sentiret inordinatos motus naturæ lapsæ, quia non semper homo illos sentit aut experitur, qui vel non semper eorum occasiones sese offerunt, vel non vacat his attendere. Deinde dico verisimile esse habuisse statim Evam aliquos motus appetitus sentientis magis inordinatos quam integritas

naturæ permitteret. Potuit enim statim sentire, et fortasse sensit voluptatem majorem in aspectu cibi, majoremque illius concupiscentiam, præsertim quia jam, per internam superbiam, similitudinem Dei et scientiam boni et mali inordinate desideraverat, nam hæc ipsa animi affectio appetitum etiam inferiorem magis inclinabat. Non tamen advertebat Eva hunc motum esse effectum lapsæ naturæ, quia vel quibus donis antea esset prædita, vel unde illi motus provenirent, ignorabat, vel certe quia de hoc non cogitavit, neque reflexe (ut sic dicam) ad motus attendit, ut eorum radicem investigaret. Et ob eandem causam potuit facile non erubescere, nec videre nuditatem suam prius quam vir caderet, quia interjectum tempus breve fuit, et in eo solum de marito invitando et inducendo ad esum cibi cogitabat. Et optimum argumentum est, nam statim experiri potuit se esse deceptam a serpente, quia nullam scientiam boni vel mali per esum cibi adeptæ est, et tamen id non consideravit, sed solum ad virum se convertit, et de illo invitando sollicita fuit.

CAPUT VII.

UTRUM HOMO IN STATU NATURÆ LAPSE CAREAT LIBERTATE, QUAM IN SUA PURA NATURA HABERET?

1. *Quæstio explicatur quæ contra hæreticos procedit.* — Quæstiones in hoc et sequenti capite tractandæ, ad explicandas vires liberi arbitrii in homine lapsæ necessariæ sunt, quod in lib. 2 fuse tractaturi sumus, et ideo in præsentem illas præmittimus. Potest autem voluntas hominis lapsi comparari, et ad voluntatem hominis in statu innocentiae seu integræ naturæ, et ad statum puræ naturæ. Item potest fieri comparatio, vel in absoluta libertate, vel in viribus et perfectione ejus: et hanc quidem posteriorem quæstionem cum Catholicis tractabimus, hic solum priorem cum hæreticis disputamus; et ideo addidi in titulo quæstionis, an homo nunc careat libertate, quam in pura natura haberet: quia non inquiri de illa quam in statu naturæ integræ habuit, id est, de perfecto statu libertatis sine ullo corporis gravamine, vel impedimento concupiscentiæ. Sic enim certum est, ex dictis et ex fidei principiis, hominem lapsum carere illis prærogativis (ut sic dicam) et viribus libertatis quas in statu innocentiae haberet, ac subinde vires liberi arbitrii ad operandum bonum de-

bilitatas esse plurimum in humana natura per lapsum Adæ, et originale peccatum. Solus enim Pelagius, et ejus sectatores, qui peccatum originale negarunt, et Adamum in pura natura creatum esse asseruerunt, consequenter etiam dixerunt nullo modo fuisse debilitatas in posteris Adæ vires ad operandum bonum, ut capite 12 dicam, et constat ex Angustino, lib. de Nat. et grat., c. 19, ubi errorem illum impugnans ex illo Ps. 40: *Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi*, ait: *Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum?* Et hic error Pelagii damnatus est in Concil. Arausic., c. 1; Trid., sess. 5, decreto de Peccat. orig.; Valent., cap. 6; sequiturque ex principio fidei, quod peccatum originale transfunditur ad posterum; per illud enim peccatum natura infirmior facta est, et consequenter imbecillior, ut recte dixit Chrys., homil. 30 ad Popul., juxta verbum Christi Matth. 9: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus*, quod explicans addit: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Solum ergo superest quæstio de substantia seu indifferentia libertatis, an manserit in homine lapsæ, saltem secundum intrinsecam rationem, secundum quam est naturalis homini, essetque in homine in pura natura.

2. *Primus sensus erroris.* — In hoc ergo puncto valde errant hujus temporis hæretici. Nam Lutherani dicunt, per peccatum Adæ, non solum diminutam fuisse, sed etiam omnino perditam naturalem hominis libertatem, præsertim ad operandum bonum. Quem errorem Calvinus et alii secuti sunt, ut late refert Bellarminus, l. 4 de Statu primi hominis, in princ., et latius in Præfat. ad lib. de Grat. et lib. arb. Duobus autem modis hæc sententia intelligi posset. Prior erit, si supponatur humana natura ex vi suæ essentiæ et facultatum naturalium non habere libertatem, recepisse autem illam per dona status innocentiae, et ideo amittendo illa dona per peccatum, etiam libertatem amisisse. Juxta quam intelligentiam non sequeretur hominem per peccatum factum esse deterioris conditionis, quoad libertatem, quam esset in natura pura, sed potius rediisse ad naturalem conditionem quam ex se haberet si per justitiam non fuisset in paradiso immutatus. Verumtamen non est hic sensus hæreticorum, ut ex his plane constat, quæ idem auctor refert, et supra attigimus: nam illi potius sentiunt hominem in sua creatione in pura natura fuisse conditum, unde cum

dicant fuisse tunc liberum, aperte concedunt libertatem esse proprietatem naturalem hominis non lapsi. Deinde illa positio in illo sensu repugnantiam involvit. Qui enim fieri potest ut animal natura sua non liberum, per dona superaddita fiat liberum? Profecto non minus id repugnat quam animal, natura sua irrationale, fieri ratione utens per dona superaddita, vel quam brutum elevari ad libere operandum. Et præterea contra suppositionem illam superest tota disputatio pro naturali et intrinseca hominis libertate, quæ hic tractanda non est, sed supponenda, tanquam omnibus nota.

3. *Mens secunda ejusdem erroris ab hæreticis intenta improbat.* — Alius igitur modus asserendi errorem illum, et fortasse ab hæreticis intentus, est hominem natura sua esse liberum, et ita fuisse conditum, et peccando amisisse arbitrii libertatem naturalem. Juxta quam propositionem, aperte sequitur, in natura lapsa, non solum esse debiliores vires quam in pura natura, sed etiam nullas esse ad opera humana seu moralia efficienda, nedum bona, quia sine libertate nullum est morale opus, neque homini imputari potest quidquid facit. Hic autem error damnatus est in Concil. Trid., sess. 6, c. 5., et est non solum contra Sacram Scripturam, Patres omnes, et experientiam, et contra omnia quibus libertas naturalis arbitrii ostendi solet, sed etiam contra evidentem rationem naturalem, quæ facile ostendi potest illam mutationem, vel transformationem, seu metamorphosim hominis per peccatum, esse impossibilem. Quia duobus modis potest intelligi hominem peccando amisisse liberum arbitrium, scilicet, ab intrinseco vel ab extrinseco.

4. *Primus modus amittendi libertatem impugnatur.* — Prior modus erit, si quis fingat ipsas potentias hominis fuisse ita per peccatum intrinsece mutatas, vel debilitatas, seu impeditas, ut nec bene nec libere operari valeant. Quod sensisse Lutherum refert Stapleton., l. 2 de Corrupt. nat., cap. 3. Verumtamen talis immutatio potentiarum intelligi non potest, cum illæ naturaliter dimanent ab anima. Nisi quis forte afferat hominem peccando factum esse amentem ex aliqua læsione phantasiæ. Nam in anima secundum se non potest intelligi talis mutatio, quia nec substantia animæ, nec voluntas, nec intellectus diminui possunt in entitatibus suis, quæ indivisibiles sunt, ut est per se clarum, et iterum statim ostendetur. Idemque est de potentiis

sensuum internorum et externorum, si secundum suas substantias considerentur. Si ergo supponamus homines post peccatum habere integros sensus, et organa illorum apta, et recte disposita ad suas operationes præstandas sine ulla læsione interna in organorum dispositione, et sine impedimento extrinseco, intelligi non potest quin talis homo lapsus ratione utatur, sicut illa uti posset in pura natura, quia habet eandem virtutem connaturalem: unde consequenter fit ut etiam utatur libertate, quia hæc intrinsece sequitur ex usu rationis, quatenus naturalis est homini: ergo non potuit homo intrinsece ita mutari ut hanc libertatem amitteret, nisi per dementia ex læsione organorum sensuum proveniente; hanc autem fingere in homine lapsæ satis magna dementia esset, indigens magis sensu et experientia, quam rationis discursu.

5. *Secundus errandi modus in tollenda libertate ejusque appendices.* — Ab extrinseco autem posset amitti hæc libertas, si Deus statuisset non relinquere hominem in manu consilii sui, nec præbere concursum aptum ad usum libertatis, sed motionem ita impellentem, ut necessitatem illi inferat ad singulos actus. Et hoc videntur sentire Calvinus et qui eum sequuntur. Nam hinc eo progrediuntur, ut Deum faciant omnium peccatorum auctorem, et alia proferant absurda: et ideo in hoc errore refutando immorari nunc non oportet, nam postea, disputando de efficacia gratiæ, id præstabimus, quantum pro præsentem materia necessarium est, et in opuse. de Auxiliis satis multa de hoc puncto diximus. Hic solum animadvertendum occurrit, etiam supposito illo errore, quod Deus ab extrinseco necessitatem inferret humanæ voluntati in singulis actibus illius, non recte dici humanam naturam lapsam pati hanc necessitatem ratione peccati, aut in hoc esse deterioris conditionis, quam in puris naturalibus esset, quia eandem necessitatem extrinsecam in illa subitura esset. Probatur, quia si vera esset talis necessitas, ex efficacia divinæ voluntatis, et ex dependentia voluntatis humanæ in omnibus actibus suis, a motione divinæ voluntatis proveniret; at hæc necessitas eadem esset in puris naturalibus, quia esset eadem dependentia: ergo.

6. *Libertas arbitrii per peccatum non deperditur.* — *Refutatur.* — Quocirca, sicut fingi non potest quod talis dependentia voluntatis humanæ a divina in operando sit pœnalis, sed naturalis et necessaria, etiam in statu integræ